

Reuerendissimi Excellentissimi &  
Illustrissimi Illustres Generosi, &  
Magnifici Domini Serenissimæ  
Reipublicæ Poloniæ Magniq;  
Ducatus Lithuaniæ Status  
& Ordines.



Vdita Reipubl. Vestræ Serenissi-  
mæ orbitate, pro eo sanè ac debuit Christia-  
nissimus Rex, optimi Regis morte, vt amie-  
cissimi fratris, iacturâ vestrâ, vt carissimorû  
sociorum grauissimum dolorem sensit; Do-  
minationibusque Vestris Illustrissimis hac  
Conditionum celebritate, aut officio consolandi, aut lugendi  
societate, & singulis, & vniuersis duxit palâm declarandum.  
Multos quidem moeror hic vester ad publicam sociati luctus  
significationem Principum Oratores euocauit (neque sanè fas  
gentem vllam inter Christianas reperiri quæ non Reip. Vestræ  
Serenissimæ secundis rebus læteretur, & ingemiscat aduersis) sed  
vt omnibus Gallia præstat amicitiz fide, & foederum vetustate,  
ita omnes vincit & consolandi studio, & bene merendi volun-  
tate.

Sic enim à natura factus est vterque populus, vt iisdem stu-  
dijs capiatur, easdem excolat artes, rationem vitæ propè eadem  
sequatur, vt si iudicamenta, sermonemque vernaculum com-

112.

muta-

mutaris, in Polonia Gallos, in Gallia habitare Polonos dicas?  
Et profecto, nisi morum similitudo superioribus seculis maio-  
res nostros ad foedera inter se sancienda excitauisset; non video  
his regionum intervallis, quibus disiungimur, in amicitia vl-  
tro citroque ardentissime appetenda, & constantissime retinen-  
da quid tantopere sequi potuissent.

Debemus ergo moribus nostris quod virtutis mutuae fama  
potius quam consuetudinis iucunditate, rerum vtrinque ge-  
starum gloria quam vsu commerciorum, societatis iura fidelis-  
sime seruemus, & votis animisque, si minus locis atque corpo-  
ribus, arctissime coniungamur. Neque porro necesse est  
beneficia commemorare vltro citroque profecta viuunt apud  
nos, viuuntque semper benouolentiae Vestrae, vt Illustissima,  
ita gratissima monumenta; idemque speramus, & fidentissime  
credimus officia coniunctionis vobiscum nostrae apud memo-  
res collocata esse.

Quod si quando ad bene de Repnb vestra Sereniss. merendum  
propendit Gallia vt profecto propendit semper; eo sub Rege bea-  
ta viuit, qui cum regias virtutes omnes possideat, ab ipsis regni  
primordiis nullam magis eminere voluerit quam amicitiae cons-  
tantiâ, & foederum religione Interpositae ab ipso pro amicis arden-  
tissimae pacificationes, susceptae pro ipsis dimicationes pericu-  
losae, effusae in eorum angustiis regni facultates toto orbe testan-  
tur populos foederatos Christianissimo Regi non minus caros  
esse quam suos semperque sociis paratum esse in potentissima  
auctoritate firmum praesidium, in aerario lucubrate promptum sub-  
sidium, & in victricibus armis auxilium opportunum.

Ea verò aequitate & temperantiâ subditos regit, vt ex quo  
habenas regni ipse suscepit, nullum apud nos extiterit domesti-  
cum certamen praeterquam gratiarum in Rege, in Ciuibus  
obsequiorum. Bellum autem quod inuenit totâ praes Europae  
diffu-

diffusum, ita gessit, vt semper vinceret, ita composuit, vt inferendis conditionibus pacis, spes suas publicæ tranquillitati cōdonando, nouo vincendi genere, fortunā suā maior appareret.

Ad arma verò capienda, quanquam intercessissent causæ grauissimæ, non nisi naturæ voce impelli potuit iura sua, (exclusa pacis æquitate) ferro repetentis. Quod bellum ethi captæ vires quam plurimæ, & debellata intra paucissimos dies tota Sequanorum Prouincia nobilitasset, posuit tamen libenter arma, vt vicinos metu, Europam trepidatione liberaret.

Ita, sopitæ erant toto orbe Christiano discordiæ conticebant veteres contentiones Regis æquitate, debilitate inuidorum, cum Bataui tot beneficiis deuincti Regi, in libertatis suæ assertorem, superbiâ non ferendâ insurgere cæperunt, paciçq; auctorem & vindicem ad belli necessitatem compulerunt. Et tamen Rheno feliciter trajecto, reductis in potestatem terrestribus prouinciis, cæteris naufragio voluntario demersis, inter victoriarum concentus suauissimos pacis voces non repudiavit, pacemq; Christianus Orbis haberet, si qui pugnare non audent, inuidere desissent.

Tot curis & administrandi regni & gerendi belli distractus, non intermittit Christianissimus Rex de gloria, & dignitate Reipublicæ Vestræ Serenissimæ cogitare. Credidit Regis esse incumbere, ne Regium nomen inuidorum Vestrorum attribus non merenti deferatur, & amici fidelissimi, vt meritisimò Vobisq; maxime vtilis eligatis. Nō ignorat profectò, Excellentissimi Domini, tantæ Coronæ arbitrium iis permitti qui cum ipsi per se regere possent florentissimam Rempubli- cam nullius monitis egent, vt Patriæ votis respondeant, & consulant orbitati.

Nouit sapientissimi Senatus, totiusq; celeberrimi coetus Virtutem, prudentiam, sagacitatem, & secundis, & aduersis

rebus comprobata. Non mentiens dicam, neque animo adu-  
landi singulorum illi nomina, & uniuersorum eximias dotes es-  
se perspectas. Nouit apud Excellentias Vestras residere arcanū  
illud consilium quo Reipubl: Vestræ Serenissimæ tranquillitas  
continetur & incolumitas Christianæ, ab hoc profectas cons-  
seruatrices libertatis Vestræ cogitationes: conuersas dubiis tem-  
poribus fortunæ vices; atque victoriam nobilissimā pugna ad-  
signa Vestra reuocatam. Et sanè maxima cum voluptate au-  
diuit postrema hæc fortitudinis Vestræ miracula, quæ nec ho-  
stium numerum, nec vallorum monumenta, nec fortunæ ini-  
quitatem reformidant, per exiguā manū, difficillimis in locis  
ita animosè pugnauit, vt superaret fidem tot milia fuisse à tam  
paucis caesa, capta vulnerata, fugata, nisi iam pridem Polonica  
& Lithuanica Nobilitas tantis præsertim Ducibus famam alue-  
fecisset incredibilibus victoriis referendis.

Nunc verò alterius victoriæ nec minoris, licet incruen-  
tæ expectat Europa nuntium, nempe sententias vestras ad  
concordiam & vnitatem caritate Patriæ reuocatas, vt con-  
spirantibus ad communem vtilitatem omnium studiis ani-  
misq; efflorescat electio expectatione publica digna quam om-  
nium gratulatio, Vestraq; felicitate consequatur. Non du-  
bitamus Excellentissimi Domini, quin vota publica exitum  
sint habitura, breuiq; prodeat è sinu Vestro Princeps iustus  
sapiens, moderatus, pius, & bello & paci non impar, qualem  
deniq; precatur vobis Christianissimus Rex, vt possit cum eo  
tenaciori & fortiori vinculo amicitiam alligare. Eius cer-  
tè vel authoritas nominis, vel amicitie fides & officiorum  
magnitudo impetrare debet, ne Princeps Gallie inimicus ad  
Regni Vestri fastigium euehatur, sed non timet Christia-  
nissimus Rex hisce Comitibus tam insignem alienatæ a se Po-  
loniæ, & Lithuanie notam, speratq; potius amicitiam suam

vt Reipub. Vestre cordi est, ita Candidatis, apud Serenissimi Ordines commendationi & gloriae fore. Cum videat Reipublicae Vestrae tot necessitudinum vinculis sibi deuinctae, gratissimaeque; dilectae vires non ita pridem omnibus formidandas inausulto bello misere labefactatas, eiusdemque occasione vndique circumstantes insidiatores Vestrae libertatis, & inuasores prouinciarum, tanquam in pestilentia coruos ad dilanianda florentissimi Regni membra pulcherrima aduolantes; facere sane non potest quin Regem Dominationibus Vestris illustrissimis optet, & offerat, qui pacem honestam Gallia pacificatrice, faciendo cum Turcis, det laxamentum vastationi agrorum, & populorum calamitati.

Christianissimi Regis nomine e familia regnatrice Principem Neoburgensem Vobis proponimus ad fasces natum, fascibus assuetum, in quo nihil ad regiam dignitatem praeter regium nomen requiratur, (non quo inter vos desint Illustrissimi Ciues & bello & pace clari, summo fastigio pares) Princeps Neoburgensis originis regiae gloriam habet, amplissima fortunae pignora, & omnia regiarum uirtutum ornamenta. Eo parente natus est, quem cum inter tot Principes Respublicae Vestrae Serenissimae dignissimum iudicauit quem secum regia aefinitate coniungeret; pro sua in regiam stirpem propensione familiam Neoburgensem ad spem aliquando suffragiorum Vestrorum excitare videbatur. Illius sapientissima praecpta & exempla Illustrissima teneram & magnam filii indolem a pacis artes & tractationem armorum felicissime instruxerunt. ea uero aetate est quae ad mores Vestros fingi nullo labor possit, & ad consuetudinem institutaque; Vestrae gentis ita facile flecti, ut non accersitus a Vobis, sed inter Vos natus, & in sinu Vestro educatus videatur.

Accedet ad Dominationes Vestras Illustrissimas integer  
A 3  
cupidi.

cupiditatis, & sui iuris, adeoq; Vestrae potestatis nulli Principi sacramento addictus est, nulli priuata simultate infensus. Non affert secum odia domestica, & familiae contentiones, ne in dotem Reipub. Vestrae Serenissimae tradere timeatis dissensiones periculosas cum veteribus sociis, & cum potentioribus vicinis coniunctiones Vobis insidiosas, suspectas Europae, omnibus formidandas. Ergo non imminabit libertati Vestrae, sed praesidebit, sacrumq; illud patriarum legum palladium quo tandiu incolumis & florens stetit Polonia, reuerbitur semper, ab ambitione externâ liber. Soli gloriae Vestrae deditus, soli vtilitati mancipatus.

Nulli oneri erit Vobis familia, cuius amplissima & fundatissima opes ad tuendam generis claritatem sufficiant nulli timori ita Principum vicinorum amica est, vt sit libera; ita Christianissimo Regi Domino meo foederata, vt inde nullum libertati Vestrae periculum, multa atq; certissima subsidia possint proficisci.

Principem autem eum proponimus qui non sit futurus avidus gloriae supra vires, neq; cupidus otii infra dignitatem sed sapienti temperamento ita bellum geret, vt non repudiet pacem: ita pacem colet, vt arma cum Republica postulet, non recuset. Nulla erit causa cur Princeps Neoburgensis immortali bello Reip Vestrae Serenissimae vires exhauriri, & potentiam atteri velit, cum honestae conditiones pacis ferentur: quippe qui arma Vestra Religionis defensionem consecrata haud quaquam necesse habeat interponere partibus & offensionibus alienis, aut ad suarum dimicationem & vltionem transferre. Illam perennem, & diuinam Polonicae & Lithuanicae Nobilitatis bene de Reipub. Christiana merendi gloriam ad posterum illibatam perducet exemplis domesticis ad pietatis cultum, & verae fidei propugnationem institutus. Itaq; soli Reip. Serenissimae & militabit, & vincet,

Corona Vestra Sanctior est & præstantior quam ut sit aut miseri præda, aut exulis solatium, aut telum irati, aut ambitionis merces, aut arbitrium vicinorum. Illam ad se pertrahere multi conantur blandâ potentissimorum foederum ostentatione & illecebris amicissimæ vicinitatis.

*Timbo Danaos & dona ferentes vel potius offerentes.*

Et duntaxat debetur Principi quem Vestrum, & in Vestra legumq; potestate videat Serenissima Respub. semper futurum, neque aliunde petitorum regni consilia & artes quam à quorum suffragiis regnum acceperit Vestra est, & Vestræ debet esse munus beneficentiæ pignusque publicæ libertatis.

Habent Serenissimi Ordines Principem summæ spei, virtutis cognitæ, familiæ regnatricis, Reiq; Republicæ Vestræ regia affinitate coniunctæ suffragia pro illo Vestra sola Reipub. Vestræ caritate, solo Vestræ gloriæ studio Christianissimus Rex ambit, datq; regiam fidem Principem Neoburgensem repræsentaturum semper Serenissimis Ordinibus memorem animum & liberalem & obseruantem, libertati iura, populis æquitatem, Religioni cultum, patriæ curam & defensionem, amicitiam foederatis.

Quod si ad veteres arctissimarum necessitudinum conjunctiones accedet veluti cumulus Principis Galliæ cari electio, Christianissimi Regis Domini mei nomine offerimus Ordinibus Serenissimis quidquid à tanto Rege sperari potest & studiorum, & Officiorum. Quid possit & velit Vestra causâ potentissimus & amicissimus Rex, non ignoratis. Si opus est pacificatore, officia Constantinopoli nec inania, nec fucata; si fautore, sincera studia, si adiutore, certissima subsidia pollicetur.

Cæterum Christianissimus Rex Dominus meus sapien-

tiæ Vestræ perpendendum relinquit quibus in rebus eius gra-  
tia auctoritas, studia, consilia, & auxilia Serenissimæ Reipu-  
blicæ Vestræ necessaria sint, Regia enim fide promittimus  
quæcunq; à Christianissimâ Maiestate pendebunt, ea sempe,  
in promptu fore, quotiescunque Illustrissimis Excellentiis Ve-  
stris id nobis significare placuerit.

Hæc sunt Excellentissimi Domini, quæ Reipublicæ Ve-  
stræ Serenissimæ exponenda à Christianissimo Rege in man-  
datis accepimus. Vetustas amicitiae fidelissimæ fecit, ut tan-  
tus Princeps quem Illustrissima Corona Vestra dignum pu-  
taret, Vobis proponeret; ne gloriam & utilitatem Reip. Se-  
renissimæ, cum posset indicando promouere, tacendo negli-  
gere videretur. Sperat Illustrissimas Dominationes Vestras  
æqui bonique consulturas tam prolixam & honorificam de sin-  
gulis & vniuersis bene merendi voluntatem, & consilium ab  
optimo animo & sincerâ amicitia profectum pari mente, stu-  
dioq; accepturas dicendi finem faciemus Deum Optimum  
vrius precati Regem ut eum Serenissimi Ordines eligant qui  
it Reipub. Vestræ honori, Christianæ præsidio, & locis Ve-  
stris iucunditati.

Illustrissimis autem Excellentiis & Dominationibus Ve-  
stris gratias ago, si minus quantas debeo tot honoribus qui-  
bus me ab omnibus Ordinibus incredibili humanitate, &  
urbanitate singulari & sentio, & profiteor cumulatam;  
certè quantas possum, habiturus in pectore im-  
mortales cum ardentissima utilitatibus, Ve-  
stris inseruiendi voluntate.